Petronius.

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ALBERTINA

FRIDERICO GUILIELMO IV.

PRUSSIAE REGE AUGUSTISSIMO

ACADEMIAE RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLX. A. D. XVII. OCTOBRIS

INSTITUENDARUM.



Praefatus est Lud. Friedlaender de colonia in qua Petronius coenam Trimalchionis finxerit.

REGIMONTI,

TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ALBERTINA

FRIDERICO GUILIELMO IV.

PRUSSIAE REGE AUGUSTISSIMO

ACADEMIAE RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLX. A. D. XVII. OCTOBRIS

INSTITUENDARUM.



Praefatus est Lud. Friedlaender de colonia in qua Petronius coenam Trimalchionis finxerit.

REGIMONTI,
TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS

ACADEMIAE ALBERTINAE PRORECTOR

D$^{R.}$ ALBERTUS HAYN

PROF. P. O. COLLEGII MED. CONSIL. EQUES. AQUIL. RUBR.

Prolegomena.

G. Studerus in dissertatione de aetate Petronii (Rhein. Mus. N. F. II. p. 50 sqq.) multis et probabilibus argumentis demonstravit, Petronium (quisquis is est) Neronis temporibus scripsisse. Sed admodum mirum est, virum doctissimum inter argumenta ad sententiam suam probandam congesta etiam hoc posuisse. In Satyrici cap. 77 Scauri mentionem factam esse; Mamercum autem Scaurum (in quo Scaurorum familia exstincta est Sen. Suas. 2 p. 21 Bip.) a. 787 = 34 mortem obisse (Tac. Ann. VI. 29). Quod Studerus hunc sub Nerone mortuum esse dicit l. l. p. 219, id exemplo est, in hoc genere studiorum gravissimos errores interdum ne summa quidem diligentia caveri posse: nam illo anno Nero nondum natus erat. Rectius fortasse v. d. Americanus qui novissime de aetate Petronii scripsit, ex hoc loco collegisse videbitur, Petronium ante a. 787 scripsisse. (The age of Petronius Arbiter by Charles Beck. Cambridge 1856. 8. Rhein. Mus. N. F. XI. p. 606). At primum in aperto est, Senecam l. l. Aemiliorum tantum Scaurorum familiam exstinctam dicere, non omnium. Et ut taceam de Terentio Scauro grammatico Hadriani temporibus nobilissimo (Gell. XI. 15), nonne novimus Umbricios Scauros Pompejanos ex titulo IIviri illius cujus sepulcrum vivido illo muneris gladiatorii simulacro ornatum est (Mus. Borb. XV. Tav. XXVII. sqq. Mommsen J. R. N. p. 2341)? Sed fac Petronium de Mamerco Scauro cogitasse, etiam tum nil concedendum erit, nisi poetam res a se narratas ita finxisse quasi sub Tiberio actae sint, ut tamen non pauca ex suis temporibus in illam aetatem transtulerit (sicut etiam Juvenalem in satiris sua tempora a prioribus non accurate distinxisse observavit Madvigius Opp. II. p. 185). Ipsum autem Petronium sub Nerone scripsisse, plurima indicia a Studero prolata, si quid video non sinunt dubitare.

Neque eo indicio ad definiendam Petronii aetatem recte usus est Beckius, quod est in cap. 79, ubi vigiles memorantur. Nam quum vigiles a. p. Chr. 6 ab Augusto constituti sit, post hunc annum Petronium scripsisse concludit. Quod quamvis sit verissimum, equidem non assequor quomodo vv. dd. hunc locum de vigilibus urbis Romae intellegere potuerint. Nam etiam Prellerus in libro utilissimo de regionibus urbis Romae hunc locum inter testimonia ad vigiles Romanos pertinentia ponere non dubitavit p. 95: non rectius quam de domo a Trimalchione in colonia sua aedificata ita locutus est, quasi pro urbica habenda sit p. 77. Sed quod neminem

adhuc vidisse maxime miror: hoc loco qui est de vigilibus, quaestio illa *πολυθρύλλητος* dirimitur, utrum colonia, in qua Trimalchionem coenantem facit Petronius, Neapolis sit an Puteoli. Nam Puteolis vigiles fuisse certum est, Neapolim hoc genus militiae iullo tempore habuisse, non modo non traditur, sed etiam veri dissimillimum est. Nam quod Claudius Puteolis et Ostiae singulas cohortes ad arcendos ncendiorum casus collocavit (Sueton. Claud. 25): id ideo fecit quod utrumque emporium propter granariorum multitudinem incendiorum periculis maxime obnoxium erat; contra in urbe ad otia nata vix erat cur incendia plus quam alibi timerentur. Certe id non est credibile, si ante Claudium ne Puteolis quidem vigiles fuerunt, Neapoli jam Nerone regnante fuisse. Lugduni fuisse quod suspicatus est Boissieu Inscr. de Lyon p. 4, certe veri absimile non est.

Ex argumentis quibus Neapolim Petronio obversatam esse evincere studuerunt, unum tantum refutatione videtur dignum esse. Encolpius cap. 81 in deversorio Graecae urbis se desertum jacere dicit, verbisque Graecae urbis vetus glossa adscripta est: Neapolis. Sed huic glossae non majorem fidem tribuo quam plurimis veterum scholiastarum commentis. Quin autem Petronius etiam Puteolos eodem jure sic appellare potuerit quo Juvenalis (quamvis alio sensu) Romam III. 61 Graecam urbem dixit, non est dubitandum. Nam celeberrimum illud emporium hominibus peregrinis ex Graecia provinciisque Orientalibus commercii causa aut huc devertentibus aut diutius ibi commorantibus refertum erat. Quod Philostratus de portu Puteolano dicit (vit. Apollon. VII. 12. p. 134 ed. Kayser): *τῶν γὰρ νεῶν τούτων, πολλαὶ δ' ὡς ὁρᾷς εἰσίν, αἱ μὲν ἐς Λιβύην ἀφήσουσιν, αἱ δ' εἰς Αἴγυπτον, αἱ δ' εἰς φοινίκην καὶ Κύπρον, αἱ δ' εὐθὺ Σαρδοῦς, αἱ δ' ὑπὲρ Σαρδώ*: id etiam de temporibus prioribus valet. Stationes mercatorum Hierapolitanorum Berytensium Tyriorum Puteolis fuisse testantur tituli: cf. C. J. Gr. III. 5853 (ubi vid. Franzius) et Mommsen J. R. N. 2488 et 2476. De Judaeis Puteolis consistentibus dixit Minervinius Bull. Napol. N. T. III. (1855) p. 105. Inter tot dissonas linguas Graeca non modo praevaluerit necesse est sed etiam saepius quam Latina audita esse potest praesertim in regionibus portui adjacentibus. Ceterum Satyricon fortasse post a. p. Chr. 60 scriptum est, quo anno Puteolis jus coloniae redditum esse refert Tacitus An. XIV. 27; mors P. Petronii Arbitri in a. p. Chr. 66 incidit ib. XVI. 17 sqq. Num Neapolis illo tempore jus coloniae habuerit, alii viderint. Addo in colonia Petroniana amphithentrum esse cap. 45. Num Neapolis amphiteatrum habuerit nescimus; Puteolanum in vulgus notum est (cf. Em. Huebner Iscrizioni esistenti sui sedili diteatri ed anfiteutri antichi p. 23).